

THE CHARTER OF MARYLAND.

legitimā liberatione solutione et acquietantia inde de tempore in tempus recipi et allocari volumus ac pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris jubemus et mandamus præcipientes omnibus et singulis officiariis et ministris nostris hæredum et successorum nostrorum et sub gravi indignatione injungentes ne quid in contrarium præmissorum ullo unquam tempore attemptare audeant aut eidem ullo modo contraveniant sed præfato modò baroni de Baltimore et hæredibus ac præfate provincie de Terra Mariæ incolis et mercatoribus prædictis eorumque servis et ministris factoribus et assignatis in plenissimo hujus chartæ nostræ usu et fruitione omni tempore prout decet auxilientur et assulant.

XXI. ET ULTERIUS volumus ac per præsentis pro NOBIS hæredibus et successoribus nostris concedimus præfato modò baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis et dictæ provincie terræ-tenentibus habitatoribus præsentibus et futuris et singulis eorum quod provincia prædicta terræ-tenentes vel incolæ ejusdem colonie aut patriæ vel terræ Virginia aut alicujus alterius colonie deductæ vel deducendæ membrum vel pars de cætero non habeantur vel reputentur aut de eisdem dependentes sint aut regimine subsint in aliquo ipsamque et ipsos ab eisdem separamus et separatos esse volumus per præsentis ac quod coronæ nostræ Angliæ immediatè sint subiecti et de eadem dependentes imperpetuum.

XXII. Et si fortè imposterum contingat dubitationes aliquas quæstiones circa verum sensum et intellectum alicujus verbi clausulæ vel sententiæ in hac præsentis charta nostræ contentæ generari eam semper et in omnibus interpretationem adhiberi et in quibuscunque curiis et prætoriis nostris obtinere volumus præcipimus et mandamus quæ præfato modò baroni de Baltimore hæredibus et assignatis suis benignior utilior et favorabilior esse judicabitur proviso semper quod nulla fiat interpretatio per quam sacro-sancta Dei et vera christiana religio aut ligeantia nobis hæredibus et successoribus nostris debita immutatione prejudicio vel dispendio in aliquo patiantur eo quod expressa mentio, &c.

XXIII. In cujus rei, &c. T. R. apud Westmonasterium XX die Junii per breve de privato sigillo.